Is. CASAVBONI

CORONA REGIA.

Id est

PANEGYRICI CVIVSDAM VERE AVREI,

Quem Iacobo I. Magnæ Britanniæ,&c. Regi, Fidei defensori delinearat,

FRAGMENTA,

Ab EVPHORMIONE *inter schedas* τοῦ Μαχαίρα *inuenta, collecta, & in lucem edita.*

Sur Gaspard Scioppius.

M. DC. XV.

Pro Officina Regia Io. BILL.

LONDINI.

Byw S & 16



EVPHORMIO

LECTORI S. D.

PARVM *mehercules clarissimis Is. Casauboni manibus Pallas deberet, nisi pari nexu Religio obstricta esset. Nemo hoc fuit sæculo, qui tantam Litterarum famam, vt diis impenderet, generosius contempsit, aut qui magna moliens felicius ingenij patrocinium inuenit. Atque in eo iam consistit postuma non minus pij quàm docti viri gloria, quod cùm potuerit in humanis studiis eximius esse, videri industrius in diuinis voluit. Hoc quam rarum sit, omnium penè terrarum peruersitas ostendit:*

alij enim homines cum grauissimis scientiæ armis de Religione præliantur, morosè ad vilitatem Musarum animum demittunt: alij inutili industria teneri ingenia putant, quoties ex hortis & amœnitatibus egrediuntur. A Theologia igitur ad Litteras redire paucorum est; à Litteris ad Theologiam transcendere tentarunt plures, sed infeliciter: adeo rarum est placere bono numini, aut cum scribendum est, Principe siue Rege occupari. Iacobo Iustissimo Britanniarum Monarchæ (quo maiorem Sol non vidit) felicitatem suam Casaubonus debet; cuius cùm adoraret exemplum, humanissima liberalitate traduci ad quamcumque doctrinæ Spartam potuit. Postquam Rex Diuinum, Minister Scriptor Regium vsurpauit munus, tantis auspiciis res ab omni æuo maxima agi cœ-

cæpit, vt iam sciat Europa, quæ virtutes dignum cælo Iacobum faciant, & quod obsequium tanto Regi Casaubonum commendarit. Sed, proh dolor, tristissimi iniuria fati pulcherrimis conatibus interuenit, rapuitq; virum, quem nec vlla vnquam Theologia satis deflebit, nec omnes siue Latinorum, siue Græcorum Litteræ, Ecclesiæ post XVI. *sæcula adhuc nouæ restituent. Quid sperandum erat, confutati vnius præcipuè Croni Senis annales indicant: omnem antiquitatem Christianam situ pudendo squallidam, & tot sæcula peruersissimorum rituum ærugine obducta ad incudem aeris industria reuocabat. Deleri poterat, quicquid in damnum humani generis credula opinione inuectum erat. Sed tanquam sine Vulcano tota Cyclopum officina refrixisset, omnium laborum designatio*

inter fumum flammamq; hæsit: nec o-pera, sed Fragmenta relicta sunt. Alibi ferrum semisubactum adhuc requirit formam suam; alibi & auri splendor igni corruptus & fuligine impeditus abscondit pretium. Atque mihi contrectanti tam sacras reliquias, Corona aurea ingentis pretij, sed adhuc imperfecta occurrebat, ab artifice ingeniosissimo in XII. *radios designata. Nihil aut maiori cura aut subtiliori arte tentari potuisset: vt videri auctor possit, quia rem viribus suis maiorem aggressus erat, tanto operi intermortuus. Operæpretium arbitror, sine verborum inuolucro mysterium publica cognitione dignissimum explicare. Isaacus Casaubonus postquam in Britanniam venit, & in Regiam doctrinæ scenam prodiit, primum Theologi putauit munus esse, Regi placere: hunc*

velut

velut Deo proximum & Eccleſiæ caput in terris cenſeri. Tantis igitur laudibus Panegyricum inſtruere cœpit, tamq; alto omnium virtutum faſtigio Iacobum collocauit, vt de numine deinceps poſſimus dubitare: non eouſque Traianum ſuum Plinius euexit, licet optimum; non Iulianum Mamertinus, quamuis doctiſſimum: non idem Maximilianum, etiamſi Herculeum. Multa enim & præclara illi dixere; ſed nihil Caſaubonus mentitus eſt. Potuit abſolutiſſimis encomiis & indulgere affectui ſuo, & veritati ſatisfacere; cum difficillimum eſſet, laudare omnia, nec tamen adulari. Dubites mediusfidius, eloquentior fuerit, quia ſic ſcriberet; an felicior, quia de tali Rege: cui cum ſolus ſufficeret, reliquis omnibus Muſarum Myſtis ſilentium imperauit. Vera Virtus in uno Iacobo reperta fuit;

non igitur ab alio, quàm Apelle exprimi coloribus debuit: religiosa Maiestas in vno hoc Rege vim suam ostendit; solius igitur Policleti ære digna fuit. Aliorum passim artem sudoremq; tenue argumentum extollet; omnia hic magna sunt, neque in Fragmentis pretium amittunt. Tu cogita, Lector, quantum esse elogium debuerit, quod nec in partibus deficit: quæ vis plena necnon effusæ orationis abundantia extiterit, cùm & in lamis lacunisq; ipsis libera maris copia, & indomitus motus exundet.

Pietatis igitur meæ fuit, quoniam in hunc thesaurum incidi, colligere partes, quæ dispersæ inter tot scripta erant, & producere, quæ maiori damno periissent, quàm imperfecta sunt. Aurum in annulos nummosq; solutum nihilominus carum est: molem enim & aceruus fa-

facit. Atque mihi amplius etiam posteritatis voluptas curæ erit. Iterum quicquid schedarum relictum est, excutiam, iucundo Fragmentorum corollario nouam mox editionem cumulaturus. Nihil quidem ab aureo Casauboni calamo defluere potuit, nisi quod gemmis par esset, & inuestigantis labore dignum; sed quod postuma facundia viuentium expleret desideria, cælesti aura dotatum sit, necessum est. In hunc scopum ὁ μακαρίτης direxit scribendi consilium, vt peculiari libro ardorem suum ostenderet Regi, Regem omnibus. Fato præuentus quod viuens non fecit, nunc præstabit defunctus, & hanc æternitatis tesseram terrarum orbi relinquet; quod facilius extingui potuit, quam tacere. Sed quid mirum in Britannia loqui mortuos? dicam quod magis admireris, & Reges Scribunt. Vale.

C

re
no
est
H

Is. Casavboni
CORONA REGIA.

Id est,

Panegyrici, quem Regi Britanniæ destinauerat,

FRAGMENTA.

* * *

Entium populorumq; felicitatem ac salutem in Rege positam esse arbitrati sunt: quemadmodum rectam membrorum valetudinem à capite dependere, huiusq; esse munus, Medici tradunt. Hinc ab ipsa rerum origine Re-

ges ad fastigium huius maiestatis, Iustino scribente, non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio prouehebat. Neque enim capitis caussa corpus, sed corporis caussa caput esse conformatum credimus: Regem autem populis dari, vt eorum velut pater ac protector sit, pro iis excubet, agat, pugnet; hoc vnum iucundum putet, quod cum publica quiete coniunctum est. Ita magna virtute instructos eos omnes esse, qui tantum inter homines sustinent munus, magnoq; & naturæ beneficio dotatos, & disciplinæ auxilio suffultos esse oportet, qui Dei in terris imaginem exprimunt. Sed quemadmodum nasci bonum, haud profecto satis est, nisi talem te viuendi

di ratione præſtas; ita plurimum recta inſtitutio addere pronæ ad virtutem indoli ſolet. Quaſi Deus voluerit iſtinc ſemina iuſtitiæ, clementiæ, pietatis eſſe, hinc fructum dependere. Neque tamen minori gloriæ adſcriptum eſt, poſſe, quum praua naturæ conſuetudo eſt, eam probitatis integritatisque velo tegere. * Scio enim, ſcio in omnibus hominibus virtutem non inueniri. * Vt ſi eſſe non poſſis, ſaltem bonus à ſubditis habearis. Simulare & fingere Regium eſt: tum & optimè loqui, quum peſſimis rebus animus ab origine corruptus delectatur. Quemadmodum virtutes, ſic virtutum omnium imagines ſunt: vnde ſi iuſtitia diſplicet, laruam eius ſume, vt ſine re-

prehenſione iniquus ſis : ſi à clementia abhorres, ſub perſona latebis, vt impunè ſæuias : ſi vitiis omnibus indulges, pietatis maximè velo opus erit, vt ſanctiſſimus appareas. Admirabile verò eſt, quantum turpitudinum atque vitiorum abſcondere in Rege quietis & modeſti ingenij profeſſio valeat ; ſi & doctrinæ, quæ inſtrumentum haberi virtutis ſolet, & Religioni, quæ vinculum eſt Regni, quam maximè ſe addictum eſſe oſtendat. Vtraque hac gemma totidem læſæ mentis vlcera obtegi queunt, poterunt q; Reges omnes, & humanum ius quodcumque violare, vt nihilominus boni exiſtimentur ; & Deum contemnere, vt maximè pij ſint. Qui te norunt, Rex Admirande, ne-

nequaquam norunt. Nemo vnus mortalium eſt, qui intima animi tui ſecreta, pauci qui domus penetralia, qui diei otia, noctisq; negotia pluſquam regia, pluſquam pontificia explorata habeant. ** Admiſſus ſum, & quidni igitur totum te admirer & venerer? Ignaui aut maligni ſæculi mei mores ſint: agnoſcet poſteritas Iacobi Regis ſtrenuiſſimi virtutes mihi ignoratas non fuiſſe. * * *

Vt his oculis ſacrum Maieſtatis tuæ vultum primo vſurpaui, equidem toto animo commotum me ſubito, & commutatum eſſe fateor: vt affirmare quoque non dubitem, quin veriſſimum ſit, quod olim traditum accepimus, aliquid Dei in Regibus eſſe: ſed

in

in te potiſſimum poſt tot ac tantos magnorum hominum hoc noſtro patrumq; æuo labores, veræ atque emendatæ religionis præſtantiam atque ſanctitatem remota otioſa ſuperſtitione relucere. Ac ſanè ad me quod attinet, etſi à parente Eccleſiæ miniſtro maximè feruente, ad Puritanæ pietatis dogmata productus atque educatus, in iiſdem à doctiſſimo Theodoro Beza, & longo viuendi vſu confirmatus; poſtquam tamen in hoc regnum aliumq; terrarum orbem veni, volens ac libens fidei ingenijque mei faſces, religioſæ doctiſſimæque Maieſtati tuæ ſubmiſi, eo ipſo rerum momento diuinitus, niſi fallor, admonitus, longè maius ſanctiusq; eſſe quod Reges dicunt, quam quod

quod è plebe homines, & capite censi, ne quid peius dicam in Ecclesia Dei siue docent, siue reformant. O admirabile diuinæ benignitatis τὸ κύριον! In oculis tuis splendorem sanctorum; in verbis spiritum Iesu Christi, in gestu habituq; omnia rara ac diuina esse animaduerti. Videbam Principem, & Doctorem Principum atque populorum admirabar: intuebar Regem, & Prophetam venerabar: cernebam nouum aliquem in aureo throno Salomonem, & simul familiarem Deo Legislatorem Moysen præsenti velut numine coronatum agnoscebam. Libro armatus ac calamo sedebas, ac poteras vbi alij diadema siue tiaram gerunt, sæculi nostri more Excellentissimi Doctoris

insignia infulamq; iure tibi ac merito vindicare. Quare & subdubitare poteram, aulam an scholam, palatium an verò gymnasium intrassem. Etenim tam insolito ac penitus admirando spectaculo attonitus, non satis mente, non lingua vtebar: vt timere non immerito potuerim, ne in hoc corpusculo meo animum quoque desiderares, parumque rebus tuis viderer idoneus, qui omnis loquelæ adeoque Grammaticæ ipsius, qua famam non paruam paraueram, subsidio vsuque eram destitutus. Et tamen paulatim ad me rediens, aut potius longiùs à me recedens (quod in laudem tuam dictum sit, sapientissime Rex) postquam vocem Latinam audiui, alium hominem,

nem, aliam naturam, aliamque propemodum fidem indui; cum grande piaculum, summumque putarem sacrilegium, pro ingenio tam docti, & vel ad docendum apti Regis non sapere, aut certè non loqui. Accedebat sacra item, & agnata tantæ doctrinæ tuæ liberalitas: qua admonebar nihil iam Grammaticæ, nihil Criticæ, nihil profanis omnibus litteris dandum esse; sed Ecclesiæ eiusque Regio Capiti studiorum meorum labores, tot voces à me obseruatas, correctas, explicatas, tot Latinitatis formulas, tot varias lectiones, tantam verborum copiam, omnesque omnino Polymathiæ meæ thesauros nunc tandem emptos, destinatos, mancipatosq; esse. Neque enim ex ærario

rio Regio & profana arca, numeranda congiarij pecunia erat, sed ab Ecclesiæ censu & Presbyterij prouentu, quod longè erat religiosius, accipienda: vt hac quidem ratione Regiis viribus nihil decederet, & tamen munifica Maiestas tua esset, cum stipendia tam piè inuenta, tam religiosè assignata, aliquid in me vel ab origine sacri esse, & te verum fidei Defensorem, te prouidum Oeconomum, te sanctum Dispensatorem loquerentur. Ego sic quidem in ipso hoc honorario inueniebam munus meum, tuumque simul imperium, quo ad scribendum canonicè ac theologicè conducebat, agnoscebam. Hisque tandem stimulis adactus, amplius etiam scribere tentaui, quam

quam vnquam didiceram : imò verò vt ad omnia paratus eſſem, Theologus eſſe, quem nunquam egeram, & haberi quoque cœpi. Verum igitur fuit, quod alioquin ἀδύνατον eſt, à Grammatica ad Theologiam ſine vllo alio labore aut interuallo tranſitum eſſe. Sed Regi placere, id verò eſſe omnia poſſe : pium eſſe, quicquid ille iuſſerit: ſummam doctrinam, fauorem eius eſſe. Scripſi igitur, Doctiſſime Rex Iacobe, ſed quæ tua eſſe poſſint, niſi nomen iam meum præfixum eſſet. Primùm quidem iuſſu tuo, (cùm ad omnia ſcribendi obſequia promptus eſſem) Epiſtolam ad Frontonem Ducæum Ieſuitam, qua infinitam Romani Pontificis potentiam ſic imminui, vt iam deinceps

ceps omnes Reges aduerſus tam cruentas minas armati eſſe poſſint, tamque intolerabilem ſuperbiam velut iure diuino & humano relectam atque damnatam contemnere. Ac licet neſcio quis dæmon, & qui alij dæmoni ſimiles, petulanti arrogantia velut inferni furiis agitati, arrodere ac perſtringere auſi ſunt; nihil tamen egerunt aliud, quam quod malignitatem ingenij ſui rabiemque ſtyli oſtendere potuerint; meam verò mihi in rebus fidei intelligentiam, in arcanis Scripturarum peritiam, inque rerum ſacrarum ſtudio induſtriam inuiderint: quam tamen ferre vtcunque poterant, niſi iam ingenium meum timerent, admirabili liberalitatis tuæ affectu afflatum atque illu-

illuſtratum. Oſtendi interim, quicquid dæmon turbet, quicquid nebulones omnes obſtrepant, nihil in te minas & fulmina, nihil faſtum & omnipotentiam Iouis Capitolini poſſe. Te pacis & concordiæ, illum turbarum & ſeditionum auctorem eſſe & opificem. Denique peſtilentes è Ieſuitarum luſtris emiſſarios in nouam hanc & repurgatam poſt tot ſæcula Anglicanæ Eccleſiæ regulam, dignos & noſtro iam calamo, & tua ira, id eſt, iuſtitia eſſe, meritoq; laniari, excruciari, ferro, laqueo, aliisque ſæuitiæ machinis ex hac vita protrudi: eos autem, qui è ſubditis tuis tam nefario hominum generi clam palámve ſtudent, Maieſtatis pariter reos cenſeri. * *

De

De Exercitationibus meis in Baronium, quodnam iudicium tuum fuerit, publicè notum eſt: aliquid tamen vel grauius conſcribi potuiſſe, vel accuratius, vel doctius, inficias non eo; præſertim cum non de verborum atque eruditionis minutis obſeruatiunculis, ſed de rerum maximarum veritate ageretur.

* * *

Atque ego præterquam quod doctrinam tuam Criticus, Theologiam Grammaticus, vitam ſcholæ aptam vmbraticus ſingulari quodam affectu atque admiratione ſuſpicerem, rapiebar tamen innata neſcio qua Sympathia, & ſimilitudine aliqua me tibi (fas ſit dicere) comparabam. Etenim ſic iam obſeruatum eſt, affi-

affinitatem non exiguam inter eos omnes contrahi & coaleſcere, qui communi litterarum teſſera calami ius gerunt, nomenque ſuum editis ingenij monumentis per ora hominum circumducunt: hoc quidem ego hactenus pro virili, tu verò tam ſtrenuè aliquot iam libris feciſti, vt argumentorum delectu omnem induſtriam meam viciſſe videaris; tam ſeriò quoque, vt maioris calamũ, quàm ſceptrum æſtimaueris, poſitaq; Regis perſona, Scriptoris indueris: quid niſi teſtatus, longè pulchrius tibi videri ingenio, quàm fortuna magnum clarumq; eſſe. Mouebar deinde fama quadam & fortaſſis non vana, quæ non diſparem vtrique, ſed tamen pulchram originis ſortem refere-

bat: cuius mihi quidem meminisse suaue est, tibi etiam pium videbitur. Vt de me igitur priùs dicam, & à minoribus ad maiora viam aperiam, humanitas tua, Rex religiosissime, permittet. Neminem esse arbitror, qui Arnaldum Casaubonum, optimum parentem meum ignoret, hunc quia semel pio calamo è cruce detraxi, & fœdissimo quo strangulatus pendebat laqueo liberaui, viri innocentiam integritatemque contestatam omnibus reddens, non verebor æterno & propemodum regio elogio concelebrare. Ostendi quid patri filius debeat, & qua industria peruersissimus vinci rumor possit: nunc promoueo pietatis officium, & in cœlum euecho virum, quem illi è terra in aë-

aërem ſuſtulerant, vt quiete ſpoliarent. *

Nec conſequi liceat? Adſint verò & contexant nouas calumnias homines improbiſſimi, inuenta eſt ratio, qua ad ſilentium compellantur: adſint quotquot in orbe nebulones ſunt,& carnifices omnes fiant,eorum ego manibus &crudelitati originem meam eripiam. * *

Pericula magna ſæpe adiit, ſed glorioſa, quia eiuſmodi, quæ omnibus eſſent communia,quos pietas erga Deum compellebat, vt Romanæ Eccleſiæ deprauationes optarent eſſe emendatas. Ergo qua doctrina, ea probitate & prudentia Miniſter inter paucos inſignis * qui quum munus ſuum ſine nuptiis profanum exiſtima-

ret, Ioannam Rousseau vxorem duxit, constantissimæ pietatis feminam non sine * quumque me, præter alias proles filium sibi è tam bono & iucundo horto, quem triginta fere annos strenuè coluit, genuisset, in hanc spem præcipuè educauit, summo studio ac labore imbuit, vt aptus vtilisq; Ecclesiæ, dignus Regum amicitia atque familiaritate euaderem. Prout res quidem hactenus fuit, fortunam non accuso. Sic enim in Gallia à Christianissimo Rege Henrico habitus fui *, vt felici & opulento otio perfrui potuerim. Quicquid proficisci ab humanitate & beneuolentia potuit, in me deriuatum est: & quicquid Rex faciebat, Magnates omnes, Principesq; viri, nec non Antistites

ſtites imitabantur: illi ipſi, quos Alaſtores poſtea, quos ſeditioſos, quos ſceleratos, quos rabioſos, quos parricidas in gratiam tuam nominaui, tam candidè me complexi ſunt, tam promptè ſtudia iuuerunt, tam ſolicitè Regis in me affectum fouerunt, vt verè patres, perfectè doctos, ſine ſimulatione amicos expertus fuerim, ſed quod ante omnia proponi debuit, ſalutis dignitatiſque Regiæ ſtudioſiſſimos Athletas, pacis & concordiæ publicæ indefeſſos conſeruatores. Tot beneficiis partim Regis, partim eorum qui pro Rege excubabant, victus (cogor dicere) vix mihi temperare poteram, quin mutato de religione ſenſu, in partes Pontificiorum tranſirem. Sed nec promptio-

ribus ſtabilire ſubſidiis in Italiâ Hiſpaniaq; nomen, Litterarum tractatione acquiſitum, poteram; aut ad publicum aliquod in his locis docendi munus vota attollere: quod quemadmodum cum magno & ornamento ſtudiorum, & lucro rerum fuiſſet; ita ad facilem Latinæ eloquentiæ vſum, tardam hactenus, quippe non admodum exercitatam, niſi obiter Geneuenſi Profeſſione, linguam expediuiſſet. Tanti omnino erat, alio ritu, non alio animo Deum colere, quo in tanta hac rerum & religionum tempeſtate nominis & exiſtimationis naufragium euitarem. Quin etiam tanti erat, dicendi promptitudinem nobili aliqua Litterarum profeſſione parare, poſtquam in euol-

uen-

uendis, annotandis, conferendis Latinæ Græcæque linguæ Scriptoribus, omnis induſtria mea hactenus intentioque deſudaſſet. Ita me Deus optimus maximus, iam conuerſioni proximus eram, & iam manum Illuſtriſſimus Cardinalis Perronius, alijq; non pauci, quorum & doctrinam ſuſpiciebam, & auctoritatem reuerebar, porrigebant: denique peractum erat, niſi mors Henrici Magni in idem illud tempus incidiſſet. Quæ quidem mors, ſicuti toti Galliæ funeſta & luctuoſa fuit, ita mihi propemodum ſalutaris contigit:: vt neſciam maiores dolendi, an gaudendi cauſſas habuerim. Nam orbatus penitusque deſtitutus vitæ & ſtudiorum ſolidiſſimo patrocinio; cum eò

iam creuisset animus consuetudine aulica, vt sine Rege viuere non possem, prius de regione quam religione mutanda cogitaui: Te vnum esse inter Reges omnes, qui ingeniis faueres, qui studia extolleres, qui ipse hoc ageres, quo vitam plerique nostrum toleramus; quasi non minus pulchrum putes, doctum quàm magnum esse, Doctorem quàm Regem, Magistrum quàm Iacobum. Atque hoc iam ingenij cultu, & mediocri elegantia consecutus es, vt nihil fortunam, quæ rebus omnibus dominatur, timeas. Hæc enim si iniquior (quod Deus auertat) in te sit, siq; è sinu te suo molliter sedentem ac scribentem eiiciat, poteris quidem magna animi constantia à sceptro ad ferulam

lam tranſire, Dionyſij Tyranni exemplo, qui quum hæreditatis nomine Syracuſanorum ac totius pęnè Siciliæ imperium accepiſſet, maximarum opum Dominus, mox deſerere coactus felicitatem nimiam, Corinthi puerulos Litteras docuit: qua quidem mutatione, ne quis nimis fortunæ crederet (Magiſter ludi factus è tyranno) monuit: in eo tamen adhuc beatus, quod velut in vmbra rerum cum imperio eſſet, non populos, ſed pueros regeret. Ego quidem, cum in Galliis, vt dicere cœpi, poſt tam fœdam magni Regis cædem, ſuſpecta omnia haberem, omniumq; bonorum ac bene de Religione ſentientium ceruicibus nouam imminere lanienam arbitrarer,

rer, te vnum ante oculos mihi ponebam, te cogitabam vnum, ad te animo properabam è mari in portum, è tempestate ad quietem, è periculo ad asylum, è metu ad securam stationem; denique ab Henrico ad Iacobum. Sic enim videbar demum tutus esse, regiamque, qua iam assuetus eram, consuetudinem ac familiaritatem posse recuperare. Sed ante omnia tamen impellebar sympathia illa admirabili, de qua nunc pergo loqui, ne interruptum sermonis ordinem, intercurrentibus variarum blanditiis rerum, deseram. Hoc enim nunc ostendendum quoque est, quomodo à conditione mea tua non abhorreat: quod faciam, & in honorem tuum faciam, Rex Doctissime, si pau-

pauliſper commemorari pateris, quæ à non omnibus adhuc hominibus ſciuntur, & quæ non paruum tamen laudis argumentum continent, ſi, quemadmodum opinamur, vera ſunt, & concedas ipſe, non ſanguine; ſed pietate originem Regum æſtimandam eſſe. Volunt igitur qui te à natalibus norunt, non humanitus, ſed diuinitus Regem eſſe, acceptum non datum, & fortaſſis fuiſſe, priuſquam naſcereris. Nam quaſi Maria Scotiæ Regina, quæ mater tua perhibetur, indigna eſſet, quæ Regem ederet, deluſam eſſe aiunt. In grauidæ vtero necari infans à Puritanis non potuit: natus mutari potuit, ſupponique, qui è Miniſtro Verbi Diuini procreatus, paternam indo-

lem quandoque sceptro iungeret; qui pius, doctus, & pro Ecclesia Dei solicitus foret. Remoto igitur Mariæ filio, & velut à Deo repudiato, in regias fascias cunasq; tu locaris, feliciſſime Rex, & filius esse Mariæ cœpisti, ex qua non prodieras; vt negligere, odisse, atque etiam occidere, si opus, posses, cui te nullum naturæ ius, nullumq; vinculum obstrinxerat. Sanè videntur mihi, postquam è Stevvardo Regem nasci Deus reformatus noluit, fata dubitasse, an velut ex Alcumena Hercules, ex Olympiade Alexander, sic è Maria gigni Iacobus posset. Sed opus esse iterum aliquo siue Ioue, siue Hammone, qui in terris adulterium ageret. Res quoque ab Ecclesia agitata est, neque pro ardua

dua habita: quaſi tam facile Reges procrearentur, quàm Miniſtri amant. Veneris enim hoc negotium eſſe, facilemq; inueniri viam, quam voluptas ſterneret. Deſiiſſe quidem eiuſmodi numina, ſed vitia remanere; rideri nomina, ſed exempla vſurpari. Poſſe igitur Iouem à Miniſtro aliquo Diuini Verbi, Hammonem à Cornigero aliquo repręſentari. A fabulis ad euangelicam veritatem, ab errorum vanitate ad Spiritum ſanctum tranſeundum eſſe. Sed quid dicam, Dulciſſime Rex? Frigida, quemadmodum ſuperſtitioſa, Maria fuit; tuarum amœnitatum; tuæq; indolis nihil in ea extitit, tam à conditione Alcumenæ atque Olympiadis aliena fuit, vt nec decipi potuerit, nec cor-

rumpi voluerit, impium rata quicquid immundum esset. Quid tibi videtur? mea quidem sententia, nesciuit se Reginam esse, quia casta esse voluit. Tam mariti amans, quàm religioni, in qua enutrita erat, addicta, meruit, vt è solo Stevvardo suo grauida, pareret filium, qui in regnum non succederet, & qui in lucem editus, mox desineret filius haberi. Quid igitur factum est? hoc quod dico. Tu, Rex Fortunatissime, nisi omnia nos fallunt, suppositus fuisti, semelq; in lucem editus, iterum, sed maiori fortuna videris natus esse: imò verò Bacchi bis geniti, quod in fabulis est, siue Bimatris similitudinem habere. O singulare Dei donum atque beneficium! ô mysterium verè admi-

mirandum! Sic naſci debuiſti vt Rex fieres, & Eccleſiam ſimul defenderes: talem habere originem, vt Religionem pariter & Regnum curares. Lineamenta illa ſacri oris tui neſcio quid inſinuent.. Mores nihil Mariæ habent. Scripta verò, tam rara támque diuina ſunt, vt non potuerint, niſi aut ab Eccleſiaſte, aut ab eius filio conſcribi. Exiſtimo igitur, quicquid alij dicturi ſint, pulchrius illuſtriusque eſſe, Miniſtro, quàm Regi patris debere nomen; ſiquidem Regiam dignitatem origini fortuna adiiciat: ſiquid etiam in tuo ortu generéque obſcuritatis eſſet, à doctrina & pietate illuſtrari, nihil natales virtutibus obeſſe; ſed ab adhęrente velut vmbra, clariorem felicita-

citatis lucem cenſeri. Nam profecto ex humili ac prorſus ignoto principio ad regalem potentiam ſceptraq; Britanniarum conſurrexiſſe, hoc eſt, quod & admiramur omnes, & quia non ſine numine peractum eſt, ingenti animi exultatione collaudamus. Sic quidem, quemadmodum diuinitus ad hoc faſtigium euectus es; ita diuina omnia ſunt quæ ſcribis, quæ agis, quæ moliris, quæ aggrederis, vt omnes omnino Reges, Principesq; Europæ ſuperare videaris. Imperant illi, tu quoque doces: Regnum illi quiſque ſuum habent, tu & Eccleſiam: ſubſunt Pontifici & Vicario Chriſti, tu Pontificem ipſe & Vicarium Chriſti agis, nemini obnoxius, nemini ſuſpectus, nemini

mini ſeruus niſi tibi. Quare quod antiquitas magnum & admirabile putauit in Telephane Lydorum Rege, qui mancipium in fabri officina fuerat; in Agathocle Siculorum, qui patre figulo natus erat; in Seruio Romanorum, qui verna fuerat, aliisque: id omnis in te poſteritas admirabitur, è Miniſtri filio Regem eſſe educatum. Diogenes olim Alexandrum, à quo viſebatur, ὑποβολιμαῖον appellauerat: cumq; libertatem ſuam animaduerteret Regi grauem fuiſſe, ſubiunxit: ἢ οὐκ Ολυμπίας ἐστιν, ἡ εἰποῦσα, ὅλα οὐκ ἐκ Φιλίππου τυγχάνεις γεγονὼς, ἀλλ' ἐκ δράκοντος, ἢ Ἀμμωνος, ἢ οὐκ οἶδα ὅτου ποτὲ θεῶν, ἢ ἀνθρώπων, ἢ θηρίων? Non è dolio, ſed è tripode emiſſa vox vi-

videbatur, iam grata Alexandro, quia diuinitatem eius ſignificabat. Ergo & amauit, æſtimauitq; Diogenem, quia præclarius arbitratus eſt, laudari à Cynico, quàm procreari à Rege; & carere patre Philippo potuit, quia Ioue ſe natum putauit credi. Ad te verò, Iacobe inuicte, pulcherrimum hoc exemplum refero: te vt maximè celebrem, cum Alexandro audeo comparare. Etenim ſi quis ſimpliciter ſuppoſititij tibi nomen indat, iniuriam prima fronte putes: ſiquis honoris cauſſa Miniſtro dicat natum eſſe, nihil amplius tribuere Regi Pontifici potuit. Sic humanitati diuinitas iungitur: nec Pontificatum iactare potes, quia Rex es, ſed quia Miniſtri filius; quaſi quod ma-

maximum eſt, à natura habeas & hæreditarium ſit; minoris momenti cenſeri debeat ludentis Fortunæ opus. Non poſſum non Amaſis Ægyptiorum Regis egregium factum adiicere. Is ſanè ingenioſa pietate, an impietate dicam? ſubditis ſuis oſtendit, nullum ſceptris à natalium vilitate dedecus accedere. Nam cùm tueri Maieſtatem ſuam ob generis infamiam non poſſet, palamq; contemneretur, ex aureo vaſe, quod ad turpes fœdosque vſus ſeruiuerat, Iouis ſimulachrum confecit, confectumque in eminentiſſimo vrbis loco poſuit, publiceque dedicauit. Nemo erat, qui non exiſtimaret ſingulari religione dignum tam illuſtre metallum. At Amaſis collaudans pietatem

tatem ciuium, indicauit conditionem ſuam hic æſtimari: ſimulachrum iſtud ex eo vaſe conflatum eſſe, in quo vomere, meiere, aliaq; obſcœniora exonerare Ægyptij ſoleant: ſe origine vilem & inſtar vaſis fuiſſe; ſed diademate inſignitum, etiam dignitate auctum, ſimilitudinem habuiſſe ſtatuæ, & in regno ſtirpem atque cultum inueniſſe. De te igitur, ô auree & religioſiſſime Rex, idem ſtatuere poterunt, qui quod ſtemma in te regium deſiderarent, minus inclytis virtutibus tuis, moribusq; piiſſimis tribuebant. At verò ſi auctoritate ſacræ paginæ agendum ſit, maximos & Deo ſemper cariſſimos fuiſſe inueniemus, qui humillimo loco nati eſſent. Sic Dauidem legimus è pa-

paſtore Regem factum, Deiq; iuſſu inunctum: qui quidem quàm illuſtris Rex, tam ſanctus Propheta extitit. Hæc quippe benignitas numinis eſt: *De ſtercore erigit pauperem.* Atque ipſe ab æterno Filius Dei, quum humanam naturam aſſumeret, abiectos elegit natales, & infantiam ſuam pueritiamque luctari cum paupertate voluit, vitæ mortisq; maieſtatem miſeria & infamia ſtabilire. Quare quum conditio tua, Rex Miniſteriſſime, quod ad originem attinet, non ſolum cum præcipuis omnis æui Regibus, ſed etiam cum Dei ipſius Filio comparetur; eſt quod rebus & famæ tuæ non mediocriter gratulemur. Ego interim hoc conſequor, quod apud omnem poſteritatem memo-

morabile erit, vt è Miniſtro natus, eóque Puritano, cum Rege tamen cenſeri poſſim, & cum eo Rege, qui in tanto rerum & curarum faſtigio, Miniſtri à ſe munus alienum non putat. Quæ quum ita ſint, & te veneror tanquam Regem, & te alloquor tanquam parem: in pari ingenium doctrinamque, in Rege auctoritatem agnoſco & imperium: quæ non alio modo *** Simulque poſito luctu & ſquallore Eccleſia reſplenduit, omniumq; euangelicè credentium vox audita eſt myſtica: εὑρήκαμεν, συνχαίρομεν. Verùm enimuero quod omni antiquitate ſanctius, ſolennius, auguſtius eſt, poſt Iſidem nobis Oſiris fuit: poſt Elizabetham Iacobus. Quid opus eſt verbis?

Quo

Quo myſterio matrem habuiſti Reginam, quum non haberes; eodem ad nouum veniſti Regnum, vt feminæ ſuccederes, & ſimul Pontifex Maximus eſſes. Quæ dignitas quàm inuſitata ac propè diuina ſit, origo eius nupera oſtendit. Neque enim aut longis ambagibus, aut deducta ſucceſſionum ſerie, aut multis ſæculis opus eſt, vt ad fontem & ſacrum caput reuertamur. Veritate ſcilicet, non tempore; ſubita opinione, non longo conſenſu tam ſancta ſtabiliuntur dogmata, conſiſtuntque. Nulla Scriptorum auctoritate, ac propemodum nulla fide opus eſt, vt hanc fidem eſſe veram, eſſe orthodoxam, eſſe euangelicam credamus. Primum enim, ne qua maieſtas deeſſet, Regia eſt, & ab Hen-

Henrico VIII. fundata. Ab hoc Angliæ nuper Sole, illud Christianæ Doctrinæ lumen, post diuturnam noctem, cæcasq; tot errorum & superstitionum tenebras, orbi terrarum inuectum est, & in Occidente, quod mirum est, Euangelij Aurora apparuit, diem promittens omnibus. Sed, ô bone & sancte Deus, quam naturaliter omnia, & simul quam mysticè! Miramur matrem fuisse & Virginem, quæ salutem humano generi peperit: miramur pariter filiam fuisse Regis, eandémque vxorem, è qua Pontificatus nouæ Ecclesiæ productus est. Præter naturam natus est Filius Dei: præter naturam Ecclesia quoque Anglicana cœpit. Maria fuit mater, & virum non cognouit: An-

na fuit mater, & è patre concepit. Ergo tali origine Pontificatum ſuum Rex Henricus genuit, tali adminiſtrauit iure. Coniugem ſimulq; natam complexus, non in petra, quod nimis durum erat, ſed in puluino & lecto, id eſt καθολικῶς, Eccleſiam fundauit. Quare niſi Bolena fuiſſet, naſci Pontificatus Angliæ non poterat: ac niſi filiæ pater miſceretur, coniugemque eandem haberet, Eccleſia non erat. Negligant, aut etiam ſubſannent hæc myſteria, qui craſſo ſenſu res omnes metiuntur, qui Dei conſilia, Regumque mores humano & plebeio iudicio expendunt: inceſtas nuptias, prodigioſam libidinem, ſalacem Regis caudam, deglubentem Reginæ concham, de-

nique Priapum & Venerem Angliæ exagitent, & rumpantur furore ſuo, qui omnia caſta, omnia pudica, omnia ſobria, omnia ſancta exigunt. Ringantur, quantum poſſunt: tamen hic Pontificatus tanquam integerrimus, hæc Eccleſia tanquam veriſſima, hoc Euangelium tanquam defæcatiſſimum, ſic hactenus viget, ſic floret, ſic originis ſuæ fructum profert. Patrem matremq; conſtitutæ Religionis irridere faciliùs aduerſarij poterunt, quàm odioſos reddere. Etenim vt charitas in Eccleſia Dei eſſet, amor principium dedit: ſic enim Reges diligunt qui Pontificatum ordiuntur. Deinde ne fœcunditas ceſſaret, coagulo Veneris conformari Diuinorum idea præceptorum de-

debuit, quæ tot ſæculorum ignorantia malitiaque propemodum exaruerat. Ac ſanè quod ad matrimonium Bolenæ attinet, res pulchra & ſacra eſt, ſed appellatione tantum prophana imminuitur. Pulchra propterea, quod Regia: ſacra autem, quod Pontificia, quo præcipuè exemplo paſſim diuini verbi Miniſtris commendata, cum laude continentiæ in Eccleſia vſurpatur. Ergo quæ in hoc Regno & Pontificatu imperiti & fanatici homines mala dicunt, nos magna ac prorſus θαυμάσια appellamus; quæ illi pudenda, nos colenda; quæ illi portenta, nos myſteria; quæ illi diaboli, nos Dei ἔργα. Quid enim? Non potuit Bolenam ſuam Rex Henricus vxorem habere, niſi

religionem mutaret; ergóne impius fuit? at nouam pietatem induxit: non potuit in tot Monachos, Magnates, Antiſtites ſæuire, niſi vt ſanguinem Regni funderet; ergóne crudelis fuit? at illam Romanæ poteſtatis tyrannidem aboleuit: non potuit nuptiis Bolenæ frui, niſi vt coniugem repudiaret; ergóne adulter fuit? at libidinis turpitudinem velare matrimonio conatus eſt; vt diſcerent tandem Pontifices Romani maritalem voluptatem Regibus non inuidere. Sola quidem voluptate ſi contentus eſſe Henricus voluiſſet, pellice potuiſſet vti: nunc quia honeſtatem quæſiuit tori, vxoris nomen inuenire in re turpi potuit; vt pie honeſteq; ſubigeret, quam generauerat, vt pater ſimulq;

mulque auus Elizabethæ esset, quam Regno, Ecclesiæ, & Pontificatui è noua vxore dedit. Ex hac igitur honestate, vel potius pietate dignitas Ecclesiæ, Pontificatus inquam Anglicanus natus est; cuius vt caussa, sic fundus, vt principium, sic fundamentum, mulieris κτεὶς, siue genitale aruum fuit; architectus, lasciuiens Regis κάπηλος, structura denique & ædificatio, profusa quædam libido, ex qua rerum humanarum atque diuinarum omnium libertas oriretur.

Henricus autem, quemadmodum pro castitate sua plures; ita pro charitate communes vxores habuit, & exemplo suo Pontifex præiuit, quid tanquam solemne & pulchrum in Ecclesia Dei de-

beret obtinere. Sed quum plures habere omnibus non contingat : hoc tamen effecit, vt quicumque Miniſter eſſet, ſuam duceret, quam nemini inuideret. Præterea Bolena ipſa nimis pios parentis ſui complexus, & ſic minus iucundos rata, humaniter corporis ſui meditullium, illud Pontificatus ſeminarium, ſuauiſſimis indulſit procis ; partim vt ea ſe parte Reginam oſtenderet, qua Pontificem Rex agebat; partim verò, vt optimi Patriſ-mariti maieſtatem, illud inquam Eccleſiæ caput, inuiſibili gratia & decore, auctum amplificatumque iret; partim etiam, vt viciſſim coronaret Maritum ſuum, à quo in communionem tori & ſceptri aſſumpta erat. Non aurum igi-

tur

tur, ſed cornua reddidit, quæ pro diuinitatis inſigni olim habita, etiam diadematum præſtantiam ſuperabant. Pulchrum profectò erat, non coronatum modò Regem, ſed κεραόσφορον ſiue cornutum incedere: qua ἀκλινοβολία factum fuit, vt iam de Pontificatu Henrici nemo dubitaret. Nam & Alexander Magnus, quum difficulter impetrare ab hominibus poſſet, vt filius Iouis crederetur, non aptius inuenit remedium, quam ſi torta Hammonis cornua aſſumeret, faciemque tranſformaret. Eiuſmodi quoque radiis poſtquam ſacrum hoc Eccleſiæ caput fulſit, ad omnes omninò Miniſtros Eccleſiæ deriuati ſunt, ſolenniterque receptum eſt, vt hi velut parui Pontifices, &

muneris ſiue miniſterij & matrimonij ſimul inſignia frontibus gererent. Quare tam neceſſarium poſtea in Eccleſia fuit, vxores ducere, quam Miniſtros eſſe. Nam ſine coniugio ad Eccleſiaſticam hanc coronam nemo valebat peruenire. Et an pulchrius eſſe quid potuit, quam quod olim numinibus, poſtea Regibus, & Britanniæ Pontifici fuit attributum? Cornua Eccleſiæ coronam faciunt, cornua illuſtrant ſacra pulpita, cornua animant templa, regunt conſiſtoria, cornua cœleſtem donant facundiam, confirmant ſpiritus gratiam, & facienti ad populum verba auctoritatem conciliant. In honorem credentium prædeſtinatum à Deo erat, nequis ſine vxo-

re

re Miniſter viueret, nequis ſine cornibus caput haberet radiatum. Quid attinet plura dicere? Neceſſitatem exemplum fecit: & quia Henricus non ſolo auro ornauit caput, Eccleſiæ deinceps maritalia cornua impoſita ſunt. Nec minus libenter Miniſtri omnes taurorum onera ſuſtinuerunt, quam facile primi Pontificis caput intumuit. Sic & Antiquitatem neſcio quæ ſuperſtitio commendauit. Nam vt è Prudentio colligitur, Hammon ille Libycus, non ſolus in ſede ſua, Aries optima corporis parte fuit; ſed & circumfuſa minora numina quæ adſtabant, ad ſimilitudinem vnius illius cornuta erant, velut parui Hammones. Eodem modo fuit Henricus

Rex VIII. quod olim Hammon fuit ; vt omnes Euangelij præcones eſſent quoque, quod Henricus fuit, cornuumq; ſancto priuilegio vterentur.

Quare dicant obiiciantq; aduerſarij, ſacrilegum ac nefarium fuiſſe Henricum ; reſpondebo Pontificem fuiſſe: oſtendant, turpem, vinoſum, libidinoſum ; reſpondebo, doctum fuiſſe: querantur, peruertiſſe regni iura; reſpondebo, aliter nouam conſtitui Eccleſiam non potuiſſe. Quemadmodum verò Henrico VIII. innocentiſſimo tamen Regi, fundare Pontificatum mulieris auſpicio licuit: ita nemo Eduardo eius filio pueritiam & mutatam magis Religionem obiiciet. Ætas enim ei permittebat, vt Pontifex eſſe, & ta-

& tamen à paternis decretis recederet; & indulgebat ſacra Dignitas, vt puer eſſet, & tamen in re religionis amplius quam pater ſaperet. Nemo etiam Elizabethæ, Bolenæ filiæ, ſexum, & peſſimis rumoribus infamatum cœlibatum exprobrabit: oſtendere illa prudentia doctrinaque ſua voluit, mulierem non regno tantum, ſed Eccleſiæ adminiſtrandæ ſufficere: ideoque ſola patris matrisq; laudes, gloriamq; exprimere conniſa eſt. Nemo denique in te, Rex maxime, reprehendet, quod ſpernere matris Mariæ religionem auſus ſis, & opinionibus nouis conſtanter adhærere: ſic fortaſſis natus eras, ſic à viris ſanctiſſimis imbutus, & à Buchanano tuo edoctus, vt partim naturæ,

partim inſtitutionis beneficio intelligeres, quid optimum in Dei cultu atq; vtiliſſimum eſſet; quid conſeruaret tibi regnum tuum, alienum promitteret. Ergo ad Henricum conuertiſti animum, ad Eduardum, ad Elizabetham: hæc veſtigia placuerunt, hæc exempla ſecutus es: tandemque ſic fortuna fauit, vt quorum vitam, mores, virtutes exprimeres, eorum dignus faſtigio habereris. Euectus tãdem ad Angliæ regnum, facere potuiſti, quicquid homines Romanæ Eccleſiæ addictos affligeret, perderetque: eaq; ratione adminiſtraſti potentiam, vt omnia Eccleſiæ cauſſa faceres, & Pontificatum ſtabilires. Huic magnitudini ea iam neceſſitas coniuncta eſt, vt niſi ſæuus habea-

bearis, bonus esse non possis; ac nisi hostem Romanum Pontificem habeas, Pontificis nomen ipse cogaris deponere. Esto etiam, culpæ infamiæq; aliorum hactenus Primatus obnoxius fuerit, atque reprehensus; fuerit, inquam, Primus Angliæ Pontifex mœchus, Secundus puer, Tertius mulier: tu iam admirabili doctrina tua, Reuerendissime Rex, & ingenio prope diuino consecutus es, vt tegere & abscondere possis, quicquid erubescendum videtur; peccare (si hoc peccare est, Henricum, Eduardum, Elizabetham glorioſæ memoriæ repræsentare,) & tamen bonus haberi: sæuire (si tamen hoc sæuire est, de superstitiosis subditis supplicium sumere, & nihilominus clemen-

tiæ laudem tibi arrogare. Malum profectò esse non potuit, quod fecerunt alij, quia tu confirmas: atque omnium esse Præceptor dignus eras, postquam intelligere cœpisti, regni causſa Religionem ordinari; imò Primus tu esse huius Ecclesiæ Pontifex debuisti, vt velut à doctiore, prudentiore, meliore cæteri formarentur. Et tamen, vt ego quidem existimo, amplius erat stabilire dogmata, prima specie blandientia, quàm condere; munire, quàm signare; defendere, quàm instituere. Tua virtute opus erat, vt semel iacta & exstructa Ecclesiæ fundamenta robur sumerent, & æternitatem sperarent: frustra enim excitatur ædificium, nisi consistat. Sic verò conseruando, augen-

augendo, ornando Pontificatum, etiam conditoris tibi nomen potes adſciſcere. Tu iam Henricus es, tu Edoardus, tu Elizabetha, quam ſemper in oculis habes; quaſi omnem in te ſexum, omnemq; ætatem laudem. Inſiſtere verò ſingulis lubet, & naſcentis feliciter Eccleſiæ, atque creſcentis memoriam repetere, quæ maximis laudibus tuis ſeruiat. Henricum iam ſceptro inſtructum ac felicitate circumfuſum

* * *

O Heroinam perpetuis elogiis tuis dignam! ô mulierem tibi præ omni matre venerandam! Atque illa ſeipſa vbique maior admirabili virtute ſexum vicit.

* * *

Sed quàm prudenter quàm calli-

de

de omnia. His consiliis, qui ciues erant & subditi, in Principem suum surrexerunt, & rebelles facti sunt: tantumq; exarsit incendium, vt non Hispaniæ, non Italiæ non aliorum regnorum & prouinciarum sanguine extingui potuerit. Ita quidem Britannia illæsa mansit, & pace sua efloruit. Ac nescio, an pulchrius ab vlla memoria belli exemplum extiterit, & an alio consilio frangi facilius ille ab Occidente Xerxes potuerit. Non pugnabat Regina, & vincebat tamen: miscuit regna & populos armis, & bellum tamen in Britannia non erat. Animaduertisti igitur, quantum consilia possint, & quanti feminæ vestigia facienda sint, quæ non vt quiesceret, viuere, sed vt occupa-

paretur, regere voluit. Tanquam hoc vnicum ſceptri tui robur eſſet, fouiſti rebelles, animaſti, armaſti, quoties opus fuit: hoc te voluiſſe, quamdiu infeſta Hiſpania eſſet, mirum non eſt: potuiſſe, cùm pace, fœdere, fide prohibereris, maximæ ſolertiæ prudentiæq; argumentum eſt. Clam igitur procurata ſunt auxilia; & militabant Britanni tui in Belgio, ſed tanquam à te non miſſi; militabat pecunia tua, quam occulto ſic fœnore multiplicabas. Scilicet præter rebellionem Religio erat: quæ etſi non tua, imò etſi ſtylo tuo oppugnata, tamen quia à Pontificia maximè aliena, patrocinium tuũ meruit. Sic quidem nemo in te perfidiam reprehendere poterat, tũ tamen pietati cauta ſubſidia per-

perſoluebas. Nihil ab hoſte damni erat; hoſti tu tamen ſub pacis larua vehementius nocebas. Atque in eo tu ſuperaſti Elizabethæ gloriam: non enim obeſſe tantùm ſciuiſti, ſed & fallere; & cùm illa virum ſe præſtaret, tu muliebres artes ingeniumq; aſſumpſiſti.

* * *

Reſiſteret? Laudo, laudo hanc magnanimitatem. Quotquot enim ſunt Reges, quotquot Principes, qui ſe Catholicos dicunt, Antichriſtianos & idololatras iure appellaſti. Hæc cenſura niſi à Pontifice proficiſceretur, dirigi in Reges non potuit; ac niſi à Rege eſſet, Pontificis nomen euileſceret & auctoritas. Si Antichriſtiani ſunt, hoſtes ſunt: ſi idololatræ, extirpandi ſunt: quos ſicuti ſtylo

&

& calamo oſtendiſti hoſtes eſſe; ita armis & bello adorieris, vt extirpes. Tibi igitur cedent tot ſceptra, tot coronæ, tot prouinciæ, quia Chriſto cedent: tibi ſeruient, vt libertatem nanciſcantur. Chriſtiani erunt omnes, Catholici, & Apoſtolici, quum ad omnes ſe Pontificatus tuus extendet; omnibusque pulchrum videbitur, quicquid hactenus reprehenſum eſt. Sanè quia in te, quemadmodum dixi, Henricus, Edoardus, & Elizabetha rediuiui ſunt, Pontifices optimi maximi, optima etiam maximaque cenſeri debent, quæcunque ab illis acta ſunt, vel à te aguntur. In te quidem ſi vlla vitia ſunt (hominem enim te eſſe fatemur, non tantùm Regem, non tantùm Pon-

Pontificem;) ſi vitia inquam vlla ſunt, elegantiæ ſunt, quæ etſi ſecreto clauſæ, & ſilentio obumbratæ, tamen velut per rimas in publicum erumpunt, & ſe populo inſinuant: quàm non mala ſpecie, hinc maximè diſcimus, quòd imitari plerique malunt quàm reprehendere: quòd nihil à Pontifice ſuo niſi ſanctum, nihil à Rege ſuo niſi imitatione dignum putent proficiſci. Idcirco oblectari meliori forma, ſuauitas eſt: indulgere genio, hilaritas eſt: agere quæ in tali fortuna animus dictet, remiſſio eſt. Noctes clandeſtinæ quantum voluptatis ** Vterque ſexus; quod quum mirandum in frigidis his plagis, in te virile & regium eſt.

* * *

De

De crudelitate tua querantur, qui Religionis ignorant zelum : & hunc tamen quoties inſpicio, maiorem in omnibus rigorem requiro. Nam ſcribant alij & mentiantur quantum velint : ego te nimia ferè clementia bonum eſſe, & peccare arbitror : ſi peccare tamen bonus poſſit, aut malus cenſeri, qui clemens eſt. Quare, vt & ipſe iam concedam contendamque, Mariam, Scotiæ Reginam, mulierem ſupplicio ſuo dignam, matrem tuam non fuiſſe (tam enim facile tibi erit, quam martyrem fuiſſe negas, pro matre non agnoſcere; quam damnatam cenſes, è tota natura proſcribere & excommunicare) tu tamen ei filius eras, cui ſucceſſeras, & ei debebas omnia, à qua re-

regnum tibi relictum erat. Hoc namque eſt naſci, non tam in vitam, quæ miſerrima eſſe poteſt, quàm in ampliſſimam Regiamq; fortunam venire. Quo quidem iure amplius Mariæ, quàm Matri tuæ obſtrictus eras: bis filius, vt bis pius eſſes, deferresque Mariæ, quantum perſolui matri non poterat. Naturam beneficium fecerat. Quæ cùm ita ſint, iniuria ſiue contumelia affici Maria non poterat, niſi vt in te velut filium infamia redundaret: vulnerari non poterat, niſi vt tu dolorem ſentires: occidi non poterat, niſi vt ad iuſtiſſimam vindictam te pietas inflammaret. Et tamen, ô admirabilem, ô incredibilem lenitatem tuam! maluiſti propemodum clemens, quàm filius vi-

videri ; & quum affectus pietatis cum ſapientia tua certaret, oſtendiſti, plus in te rationem quàm naturam poſſe.

Georgius Buchananus (vt alios omittam) vir acri ingenio præditus & excellenti doctrina , fortunæ ſuæ modum , & modeſtiæ limites excedens , atrociſſimo ſtylo in Mariam debacchatus erat : tu verò, Rex patientiſſime, nónne diſſimulare voluiſti ? Nimirum tanti præceptor erat , vt etiam præ matre (ſic eam nunc appello) coli debuerit. Quid attinet minuta, aut communia perſequi ? fuerunt homines , qui in eandem matrem tuam conſpirarent , qui ſontem , an inſontem dicam ? (neſcio enim vtrum auribus tuis placiturum ſit) accuſare,

re, damnare, denique ad infame ſupplicium protrudere, manibusq; carnificis ſubdere auſi ſunt: tu tamen moueri ab illa conſtantia animi nequaquam potuiſti, tanquam ad te hoc funus non ſpectaret. O virtutem! & Stoicam dicam? minus eſt: Chriſtianam appellabo. Toleraſti iniuriam grauiſſimam cùm fieret, & cùm vlciſci in tuo erat arbitrio, noluiſti recordari. Sciebas, Rex ſapientiſſime, obliuionem ſceleris vindicta meliorem eſſe. Præterea ſciebas in vſum tibi obſequiumque victuros eos omnes, quos ex parricidis amicos faceres, & familiares intimosque haberes. Quare ſatis non erat, parcere vt ignoſceres: amplius actum eſt: beneficia, honores, dignita-

nitates rependere voluiſti, vbi carcerem, cruciatum, ſupplicium ſontes merebantur. Maiori eloquentia opus eſſet, vt clementia iſta, hactenus inter homines non inuenta, dignè explicaretur. Quid tamen eſt? Vltio, tametſi iuſtiſſima, neceſſaria, & ab vniuerſo terrarum orbe exſpectata, fortaſſis repugnare felicitati gloriæque tuæ videbatur. Regere enim ſiue piè, ſiue liberè non poteras, niſi mater illa tolleretur: & cùm in poteſtate tua ſceptrum eſſet, vtiliſſimum longeque pulcherrimum cenſuiſti, curam viuentium agere, mortuorum deponere. Igitur vides eos quotidie & amas, quos, ſi naturam iuſtitiamque ſequaris, vocare hoſtes debeas; foues & in deliciis habes,

quibus æternum bellum alij Reges omnes, æternum odium alij homines indicerent. Sed quid? & vincis Reges, & ſuperas homines, & numine quodam clementiæ afflatus, te Regno & Pontificatu Britanniæ dignum oſtendis. Iactet Antiquitas Romana Neronem ſuum adhuc iuuenem, qui, ne de ſupplicio cuiuſdam capite damnati ſubſcriberet, pulcherrimam illam vocem emiſit: *Quàm vellem neſcire litteras.* Sed an tecum erit comparandus? ille tamen Nero, ille manſuetus, ille Apollineus, poſtea matrem ſuam occidit. Videlicet poterat doctiſſimus, & ſic peſſimus eſſe. Ergò quid ſit Clementia, tuo exemplo, Rex potentiſſime, longè planiùs

* * *

In-

Inuehentur victricibus tandem in cœlum quadrigis tot & tam excellentes, prorſusque litterariæ virtutes tuæ, quot plura hactenus ſæcula dare non potuerunt: tot ornamenta regni, quot reliqua hucuſque Europa non habuit, nec vlli pædagogi vnquam deſignarunt. Te ſi iam non intelligit inuidia & malignitas impiiſſimi rudiſſimiſque ſæculi, olim ab hominibus ſeparatum & extinctum mortales omnes deſiderabunt. Præclarum hoc regnum tuum ex ipſo fato aliquando tuo (vtinam ſero!) deprehendet, quid ſit à ſapientiſſimo, optimo, piiſſimo omnium Regum gubernari. Ergo oſſa & cineres tui in pretio erunt, & quas in nullis adhuc Sanctis æſtimamus reliquias, in

tuis exuuiis, corporeque putrefacto venerabimur. Migret tandem doctiſſima & verè togata ex hoc corpore & regno anima tua; laureatum funus erit, & hæc illa tot litteris artibusq; exculta vita tua de mortalitate triumphabit; nullius calami ſtimulum, nullius malignitatis mucronem, nullam ſicam, nullum venenum, nullum puluerem tormentarium pertimeſcet. Ego etiam, quis te naturæ locus tum temporis recipiet, adhuc non diſcerno. Optabunt Superi, cupient Inferi, tenebunt Medioxumi. Atque hæc infelicitas tua erit, felicem nimium fuiſſe: quemadmodum aiunt ſtultos reddi, & moriones mortuorum fieri, qui nimium in hac vita Reges ſapere voluerunt. Quicquid

quid ſit: tu vbicumque eris, ſcribere adhuc poteris, ſceptrique poteſtatem calamus adumbrabit. Sic, quod optimum & auguſtiſſimum in hac vita cenſes, etiam in poſtuma inuenies. An plura? Cœlum erit, quo te fortuna cumque mortuum transferet: atque in hoc conſortio & contubernio vmbrarum docti erunt, qui ne felices quidem erunt. Sed vt eò redeam, vnde paullulum digreſſus videor, in tuo exceſſu, Rex clariſſime, Britanni omnes intelligent, quale caput habuerint, Principem optimum, ſanctiſſimum, & quod caput eſt, clementiſſimum, qui vt ſanguini ſuorum parceret, quum tamen ſine crudelitate tueri maieſtatem ſecuritatemque non poſſet, vtiliſſimum

excogitauit adhibuitq; tormenti genus, vt in bona ſubditorum ſuorum & fortunas ſolummodo ſæuiret, ſatiusque putaret, nobilium virorum ſtemmata ad ſquallorem, eluuiem, egeſtatem deducere, quàm familia ſalua, hominem vnum, alterum, tertium, plures ſine alio emolumento trucidare. Non optauit, quod tyrannicum eſt ac deteſtandum, vt vnam ceruicem omnes haberent Papicolæ, quam incideret; ſed effecit, vt egeni tantum eſſent, qui religionis cauſſa, aut ignominia affici, aut exilio mulctari, aut bonis eiici digni erant. Maluit enim pro innata pietate ſua alibi miſeros viuere Britannos ſuos, Romanæ Eccleſiæ addictos, quàm domi florentes mori: quaſi facilius

lius contempturi essent vitam, si in morte solatium inuenissent. Excogitata igitur & inuenta est ratio, qua nemo inuitus moreretur, quum honestius quoque esset, in exilio quàm in carcere; deinde optabilius, sine ærumna, sine dolore, fortunæque iniuria, quàm carnificis manu extingui. Proinde videant & admirentur vberem doctrinæ, quæ in Iacobo Rege mitissimo semper viguit, fructum. Condidit secures, laqueos, necisque infamia instrumenta, vt decoctum voluptatibus suis ærarium impleret; & quum suspecta esset crudelitas, occasionem Religio præbuit, qua Reipublicæ debili & propemodum exhaustæ subueniretur. Vnde cum laude & simul lucro sæui-

re in potentiſſimos quoſque Rex potuit; nemo tamen Regi crudelitatem exprobrare. Vox, votumq; eius erat,

Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos:

Superbi autem erant, qui Lares patrios & conſuetudines iam receptas faſtidirent, qui ne ſub oculis tuis verè lynceis, tuaque cenſura viuerent, nimis antiquitatis ac ſimplicitatis tenaces, traiecto mari, & ſub alieni Imperij libertate, quietem & conſcientiæ libertatem quærebant. Ad extremum ſuperbi, & ſic rebelles erant; quia de Religione & ſalute æterna, non cum ipſo Rege ſentirent, reiectis atque damnatis Maiorum ſuorum decretis & exemplis: quia etiam pluris tot ab antiquo Reges,

ges, quos è ſuo velut ſanguine & domi natos educatosque Anglia habuit, quàm noui & exteri, & velut ignoti ſapientiam, doctrinam, auctoritatemque facerent. Sed quid eſt? in omnem partem ingenij tui cura, Rex vigilantiſſime, excubat, mare tranſit, omnes Europæ Regiones penetrat, vrbes luſtrat, angulos excutit; & quia vbique oculos & aures, Perſarum ritu, habes, vbique non tantum eſſe, ſed etiam regnare videris: & quum vbique ferè ſedem, domiciliumque Religionis neceſſitate habeant, qui tuo imperio ſubiecti ſunt, vbique ius tuum tibi vindicas, & poteſtatem exercees, Regibus, Principibusque ſiue neglectis, quod in Religionis negotio facere debes, ſi-

uc etiam contemptis, quod potes. Atque hoc sanè est Augustissimi Regis, Fideique veræ, Christianæ, Catholicæ, Apostolicæ defensoris officio fungi: hoc est vti titulo, quem quum à Leone Henricus VIII. acceperit, vsurpare tu quoque possis, eo videlicet iure, quo Romanum Pontificem Antichristum & voce & scriptis appellare soles. Intellexisti autem pro solertia tua, Rex perspicacissime, fidem omnem in regno esse positam: sed quum nec tua virtus virtuti Henrici, nec tua doctrina Henrici doctrinæ cedat; tuum esse munus censere potes, tuumq; honorem, quem ille, cum hostis esset Ecclesiæ Romanæ, & sic Pontificis, tamen retinuit.

* * *

Pa-

Paterna erga Reges & Regna omnia ſolicitudo quem non in amorem rapiat & admirationem? Mones Principes, doces populos, & quum affectum explicas, quumque prudentiam & doctrinam illam pluſquam Regiam, teſtatam omnibus ἀκαίρως ἀκαίρως reddis; quo imperio, & qua confidentia vtaris, egregiè oſtendis. Intelligimus igitur reliquos, ſi tecum conferuntur, Reges fungos, caudices, ſtipites eſſe, ac prorſus throno ſuo indignos. Nam profecto tu vnus es, qui te Regem eſſe intelligis, qui iura ſceptri tui à nullo niſi à teipſo dependere pateris, qui intolerabilem illam Romani Pontificis poteſtatem, vt verum Dei Vicarium decet, intrepidè proculcaſti. Serui ſunt,

tu liber es: exui regno poſſunt: tu tibi poſſeſſionem ſtabiliuiſti. Occidi poſſunt: tu te ſceleſtiſſimis ſicariis, immaniſſimisque parricidis oppoſuiſti. Quoties reliquas virtutes tuas cogito, præterire quicquid fortuna dedit, poſſum, ac nihilominus te maximum potentiſſimumque celebrare. Talem tantumque tu te ipſe facis. Nam regnorum titulos miniſtri & legati tui recenſent ac ſcribunt: tu quum te Iacobum dicis, totam magnitudinem exprimis. Illi te admirabili formula, & ſerie, primum Galliæ, deinde magnæ Britanniæ, Hyberniæque Regem pronunciant: tu pulchriori titulo te Fidei defenſorem clamas: illi quum omnia vanitati tribuunt, potentiam tuam in Galliam ex-

ten-

tendunt, atque inde ordiuntur: tu quum te Christi Vicarium Ecclesiæq; caput, per summam pietatem constituis, ne terris quidem contentus es. Quare non frustra etiam, quoties comparatio inter te, aliosque Reges, Principesque Christianos institui solet, delectari te versiculo illo Satyrici aiunt:

Quanto Delphinis Balena Britannica maior.

Abeant igitur alij Reges, abeant, parui sunt, abiecti sunt, Delphines sunt; Iacobus, magnus est, ingens est, Balena est. Ac tametsi Delphino Antiquitas velocitatem, φιλανθρωπίαν, primumq; inter pisces nomen tribuit; tamen longè excellentius est, cum Balena, id est, immani bellua comparari,

quæ, vt Plinius ſcriptum reliquit, *ingentis columnæ modo ſe extollit, altiorq; nauium velis diluuiem quandam eructat.* Quid etiam? *ad flexum immobilis, ad repugnandum iners, & pondere ſuo onerata, quum ab Orcis oppugnatur, ſolum auxilium nouit, in altum profugere, & ſe toto defendere Oceano.* Denique, *os habet in fronte, ideoq; ſummâ aquâ natans, in ſublime nimbos efflat.* Tu ſanè, Rex Superlatiue, eouſque te iam extuliſti, vt columna videri poſſis, cui omnium Regum ſalus innitatur. Deinde quoties in Pontificem debaccharis, doctrinæ quandam diluuiem eructas. Interim ſi quis Bellarminus, ſi quis Becanus, ſi quis Eudæmon-Ioannes, ſi quis Scioppius te inuadat, facis prudenter quod Balena ſo-

ſolet. Quid verò ſit, os in fronte habere, ij dicent, quibus omnis in verbis pudor periit; ij, qui impudenter quæcumque effutiunt. Sed profectò ita eſt, loqui neſcit, qui non audet. Scribendum eſt, imò delirandum eſt, vt quacumque occaſione aduerſarios terreas. Quum vera non ſufficiunt, falſa ſuccedent: quum docta non ſuppetunt, vulgaria ſeruient. Hinc ſumma natat aqua, qui leuia, vana, fluxa, docet; qui veritate deſtitutus eſt, rerumq; omnium profunda ſcientia caret. Sed quid tum facto opus? in ſublime nimbos efflare, indignationem mentis humida verborum copia propellere, ſeditioſis ſcriptis Europæ in Pontificem Romanum adhuc pronæ pacem con-

conturbare. Nemo hactenus Regum id ausus est, nemo etiam præter te vnum potuit. An mirum? nemo tam magnus, atque vastus vnquam, nemo Balena fuit. Verum enimuero quum hoc tibi imprimis elogium placeat, tanquam aptissimum; omnibus libris tuis, omnibus aulæ parietibus, omniumq; vrbium portis inscribi, idq; Balenicis Litteris debebit:

QVANTO DELPHINIS BALENA BRITANNICA MAIOR.

Quod si & picturam amas, non deerunt viri ingeniosissimi, vel in-

inter eos, qui imagines colunt, & libros tibi inſcribunt, qui egregio emblemate tam pulchrum verſum exornent.

* * *

Agnoſcent paulatim magnitudinem iſtam in hac vna liberalitate potiſſimè ſitam eſſe. Neque enim ſimplicia munera tua ſunt, data neſcio, an profuſa? ſed maximis honoribus exornantur: non in omnem ætatem, ſed in floridam illam, venuſtamq; collata; nec in eos, qui benè de regno meriti ſunt, verùm qui benè de te mereri poſſunt. Nimirum non hic virtutem, ſed formam æſtimas, quam in maximo ſemper honore ac pretio fuiſſe ab ipſo Socrate diſcimus. Mitto Sapientem, & Imperatorem inſinuo. Vnius

An-

Antinoi tam pulchrum exemplum est, vt argumento sufficiat. Is quum in Ægypto extinctus esset, & muliebriter ab Hadriano defletus (sic enim plangi debuit, quemadmodum amatus erat) inter Deos relatus est, & in siderum ἀστροθεσίαις sedem accepit; quasi cœlo digna tam eximia pulchritudo esset, in qua exprimenda tot artifices laborarunt: alij, vt ad Spartianum annotaui, in orbe Lunæ cum Endymione collocarunt.

* * *

Non potuisti liberalius. Nam excepto, quòd Dij non sunt, omnia contulisti.

* * *

Et quis reprehendat? promouere pulchros, id verò est bonos exaltare. Ioannem Ramsey Scotum,

tum, interfecto Gowero, non minus pulchrum quàm fortem arbitratus, Equitem Auratum, & quasi adhuc affectui non satisfaceres, Vicecomitem creasti. Sed cur in vno hæreres? Philippum Harbert, Fratrem minorem natu Comitis de Pembrook, adolescentem venustate gratiosum, à cubiculo tibi esse voluisti, quo in gradu beneficio obsequium reddi potuit. Meruit & hic profusiorem beneuolentiam. Comes enim de Mungomeri creatus, variisq; muneribus ditatus est. Sed quid placere semper potest? Triennio ferè exacto, pulcher tibi visus est Robertus Carr, puer ex honorariis, præmiisque mox dignus habitus, non lentis gradibus ad summas dignitates ascendit.

Lau-

Laudarem fortunam adoleſcentis, niſi eam humanitas tua vinceret. Primum quidem Eques Auratus factus eſt, deinde Vicecomes de Rocheſter, mox à Conſiliis, circa annum ætatis xxvi. poſtea Comes de Sommerſet, denique Magnus Cubicularius tuus. Huic iam maturo, variisque nobilium proſcriptorum bonis ditato vxorem addere voluiſti, & qualem obſecro? diuortio quæſitam. Hos ſecutus eſt incomparabili forma adoleſcens, Georgius Villiers, à Regina ipſa in cubiculum tuum introductus, vbi eodem die & Eques, & à Cubiculo factus eſt, nec multo poſt à Fiſco Regio annuam decem millium Florenorum penſionem accepit. Iam vero * *

An

An & verbis hæc res indiget? Britannos ego, non Arcades laudo: delicatiores ſunt, quàm vt glande victitent: βαλανοφάγους; an noſtra Ceres patiatur?

* * *

Animi bona & ſermo ſequitur, quaſi aliter loqui non poſſis, quàm facis. Nam qui te audit, de Maieſtate nequaquam dubitat. Charactere inſtructus Regio, animi quemcumque motum ſic quotidie ore depromis, vt altiore numine afflatus videaris. Tanquam omnia diſpliceant, & anguſta ſint, iraſceris omnibus. Nunc cœlum reprehendis, nunc elementa caſtigas verbis, nunc cum pluuia, vento, ſole litigas: & miraris ad obſequium tuum rerum naturam non eſſe, quum

quum Regem agas, quum Dei vicarium, id est, Pontificem Regia persona repræsentes. Ergo quum ἐρᾶς ἱερὸν dici possis, Diræ & execrationes omnem sermonem constituunt: hoc robore quoties vel ad sidera exsurgis, vel in tartara penetras, verba animantur, his volant alis. Fulminas, non loqueris, vt Regem à Ioue enutritum decet, & à sacro ore tuo prodit, imò in vultu est, quod etiàm familiares tui timeant. Sanctissima verò Religionis nomina & mysteria ad terrorem assumi, siue generositas quædam, siue pietas est. Tam enim tibi Deus familiaris est, vt ne in ira quidem eius obliuiscì possis. Regem te nescirent multi, nisi his armis instructa lingua tua esset, negarent

Pon-

Pontificem, nisi sic orationem formares. Aut fallor, aut pulchrior esse eloquentia non potest.

* * *

At ingenij tui magnitudo in eo relucet clarissimè, quòd excussis & examinatis tot Reformatæ religionis opinionibus, in quas industria reformatorum secta & scissa est, & quotidie magis scinditur; collatis tot erroribus, qui admirabili partium pertinacia defensi sunt, potueris animaduertere, in solis apicibus, leuissimisq; punctis, hostes omnes (qui propemodum infiniti sunt) Ecclesiæ Romanæ, & illud tot capitum corpus dissidere, & facilè in concordiam reduci posse. Quæ solertia eo maior est, quod mihi, ne quidem post epistolam tuam mo-

nito-

nitoriam editam, eiuſmodi aliquid in mentem venerit. Etenim exiſtimaui ſemper, quæcumque à Luthero, & poſt Lutherum à tot aliis in religione innouata ſunt, δὶς διὰ πασῶν ſeiuncta eſſe, & vel ἐκ διαμέτρου diſtare, faciliusque flammam & aquam, tenebras & lucem inter ſe coniungi & coaptari poſſe, quàm ſolos Puritanos, vt reliquos taceam, cum orthodoxis tuis, id eſt, latrones, vt tu appellas, cum viris bonis, iiſdem ritibus Religionis & articulis vniri & conſtringi. Nam quid opus Anabaptiſtas, Libertinos, Swencfeldianos, Valentinianos, Arrianos nouos, Semiarrianos, Tritheitas, & Socinianos, quos ego præfatione ad exercitationes meas peſſimos memoriæ noſtræ hære-

hæreticos nominaui, componere? Scripſi etiam; Ad primos tumultus propter Eccleſiæ reformationem excitatos, examina ſceleſtiſſimorum hæreticorum repente emerſiſſe, qui piorum quietem ſollicitarent, & eorum exiſtimationem apud τοὺς ἔξωθεν maculârent. Quorum omnium etiam doctrinam, perditiſſimorum hominum deliria appellaui. Sed error hic meus, ſanè ingens ac propemodum intolerabilis, ſapientiam & intelligentiam tuam, Rex Doctoriſſime, magis illuſtrat; quum quas ego trabes & moles exiſtimabam, tu deprehenderis feſtucas tantum ac paleas eſſe. Quæ vna maximè res & me (quod gaudeo) è latronum numero eximit, & firmius Eccle-

siæ tuæ coniungit, verè potiùs quàm purè reformatæ.

Quantum igitur ingenium tuum est, tantum ego beneficium accepi: tuq; plus mihi theologica doctrina tua conferre potuisti, quam ego acumine litterarum mearum tibi reddere. Nimirum plus tu è Luthero, quem Scriptorem tuum appellas, & cum S. Ioanne Baptista confers, quam ego ex omnibus Grammaticis, & tota Antiquorum πολυμαθίᾳ didici.

* * *

Nolo verecundiam oris tui cæterarum commemoratione laudum onerare. Nam de corporis dotibus, deq; vita siue priuata, siue publica, & moribus, qui vtramque consequuntur, si dicere aggredior,

τί

τί πρῶτον, τί δὲ ἔπειτα, τί δὲ ὑστάλιον καταλέξω;

Soles tu quidem, Rex delicatiſſime, multum quoque & temporis & ſtudij, idq; ſapientiſſimo conſilio, illi Maieſtatis tuæ parti dare, qua mortalis es, , & morbis quoque obnoxius; quum intelligas, non toto cœlo Epicuri ſcholam errare, quę tantum in vnoquoque noſtrum ſtatuebat felicitatis, quantum eſſet voluptatis. Tam nobile decretum, quia ſuauiſſima imitatione tu confirmas, amplius iam Regibus, quàm cæteris hominibus cenſeo tribuendum eſſe, ac inter tot numina Bacchum præcipuè Veneremque ſceptris ſociandos. Quod ſi intellexiſſent veteres plerique, minori infamia tot olim diademata labo-

rarent. Melior esset Sardanapalus, acceptior Heliogabalus, illustrior illa tot Regum & Augustorum turba, cui asscribi & nomen tuum velut clarissimum posset. Ac sanè eiusmodi corporis tui constitutio est, vt omnino digna deliciis atque voluptate videatur: eiusmodi membrorum omnium ἐυφυΐα, vt si vna crura excipiantur, videaris studio potius quàm casu, doctè potius quàm regiè procreatus esse. Ergo qui te erectum vident, plus in tibiis esse animaduertunt, quàm supplere femora, clunes, venter, pectus, collum, caput possit: & tanquam longioribus columnis non magna ædificij moles sustentetur, præcipua in fulcris corporis Maiestas consumitur. Hoc propterea dico,

co, vt videant Scoti tui, qui per manum, pedem, nomenve ducis antiqua consuetudine in contractibus iurare consueuerunt, crura tua tam solemni religione digna esse: imò verò vt hinc discant pictores omnes, quid præcipuè in imagine tua exprimendum sit; vt fateantur à naturæ regulis corpus quidem abire, sed laudem non amittere. Nam ad vsum quod attinet, nihil commodius est. Sic conformatus, auges staturam, gressúque grandiores, ac generosius quamcumque in partem libet, corpusculum bene habitum, adeoque nascentem aqualiculum transfers. Vtantur alij grallis; tu idem cruribus facies, & tanquam terram spernas, sublimis ambulabis. Id verò nouum

non esse, aut à natura Regum non alienum, Eduardus I. Angliæ Rex ostendit, qui à tibiarum longitudine, vt Hector Boëthius scribit, Langscanzius fuit appellatus. Sed nimium ego quidem in pedibus tuis cruribusque contemplandis hæreo: si formosus esses, ac similitudinem cum pauone haberes, ad caudam me transferrem; sed quia seorsim mihi cauda tua antica laudanda est, à vultu potius ordiar: in quo qui peregrinitatem nescio quam ac deformitatem, tanquam deprauatum formę genium accusant, næ illi nimis delicati sunt, ac certe ignorant, hanc viri & præcipuè Regis pulchritudinem esse, si aut turpis, aut turpi proximus videatur: nec aliter Euripidis illud intelligendum,

dum, εἶδος ἄξιον τυραννίδος. Et tamen contrahe faciem, torque lineamenta, prode his laruis animum; pulcher esse potes, quoties opus est; quotiescumque extra tuum hortum poma legis, formam in te, lasciuientes * inueniunt, pulchrumq; putant quicquid Rex opere non communi facit; sanctum, quicquid Pontifex perficit.

* *

Namque ego fortassis nimis iam secreta penetro, tuque mauis harum rerum laudem in conscientia tua, quàm rumore publico positam esse. Satis etiam erat, publicè dicere eos affectus & blanditias Veneris tuæ, quas omnium non potes oculis subtrahere, aut negligis. Cuiusmodi sunt:

in epulis ebria voluptate oculos paſcere, verborum petulantia cupidinem concitare, contrectare malas, ſuauium pangere, & velut à fumo flammam ordiri, quam in ſeceſſu extinguas. Hæc, inquam, dicere ſatis erat; atque hæc ornamenta quædam vitæ tuæ ſunt, quibus conſequeris, vt nemo te triſtem, nemo matutinum, nemo durum appellet; ſed ſuauem, hilarem, ſolutum omnes celebrent; quaſi tu nobis & ſapientem ſine ſupercilio, & doctum ſine pallore, & Principem ſine cura repræſentes. Agis Regem, & rigorem exuis; agis Pontificem, & ſuauitates aſſumis. Quid multis? Miſceri Venerem cum Minerua poſſe, voluptatem cum Religione, admirabili ſapien-

pientia, & inuſitata hactenus ſanctitate oſtendis. **

Chriſti vox erat: *Sinite paruulos venire ad me:* tu pueros, eosq; formoſiſſimos vocas, & in his naturæ beneficia & miracula æſtimas. Perge verò, perge Rex dulciſſime, hoc quod agis agere, perge in ſtuporem mortales omnes rapere. Nam ſi hactenus incredibile viſum eſt, inueniri Regem, qui ſcriptioni vacaret, & quotannis libros in publicum ederet; hoc iam prope diuinum eſt, poſſe eundem amoribus pene religioſis operam continuam dare. Alcibiades habes, & philoſophari potes; Rex es, & Socratem agis; amas, & pius es.

* *

Quia ad corpus pertinet, præteriri non debet. Aiunt enim pe-

ctus tuum genitiua quadam nota insignitum esse, quàm quum ad Leonem imperiti adulatores referre conati sunt, non intellexerunt, plus ferociæ tibi quàm roboris, plus iræ & furoris, quàm animi ascriptum esse: imo penitus ignorasse indolem tuam videntur, illam ad otium & quietem compositam, vitæ sedentariæ idoneam, & lucubrationibus dedicatam. Quia tamen Actæonem nobis repræsentas, & venatione quamplurimum delectaris, hoc signo fortassis admoneris, quas potissimum feras consectari debeas, vt strenuus & similis Alexandro videaris: leones inquam; si tamen, qui in Europa esse desierunt, nunc in sola Britannia reperiantur. Tu igitur, quotics

ties cornua ſonant, & Dianam inuocas, alias venaris, & alias, etiam dum quieſcis atque deliteſcis, capis feras, ſub dio, an ſub tecto dicam? feras amabiles, feras venuſtas, & quas non opus eſt indagare. Sic & alio venabulo vteris, alium ſaltum excutis, alias voluptates capis. Sed & ſic venari potes, ac nihilominus fortis eſſe. Nam & hoc robur, leonis figura volunt deſignari. Mihi in mentem Philippi Macedonum Regis ſomnium venit, qui vxoris Olympiadis ventrem ſibi viſus annulo conſignare; atque eiuſmodi annulo, in quo imago Leonis ſcalpta eſſet. Poſt aliorum interpretationes Ariſtander vates vterum Reginam ait ferre, (nihil enim quod inane ſit ſignari)

ac concepiſſe eam παῖδα θυμοειδῆ καὶ λεοντώδη τὴν φύσιν. Dicemus igitur pectus tuum cum Olympiadis ventre habere ſimilitudinem: obſignatum eſſe, ac latere ingenij tui fœtum prorſus animoſum ac leoninum, qui vbi prodierit, Euangelico rugitu Pontificem Romanum, duosque eius Athletas indefeſſos, Bellarminum & Petronium Cardinales inuadet, atque penitus conſternabit. Putant verò alij, non Leonis ſignum, ſed Bufonis ſiue ranæ eſſe, & tali nota maculatum pectus tuum, vt ſciremus quantum Eccleſiæ Dei præſtes. Quemadmodum enim hoc animal, etſi veneno noxium, ea tamen præcipuè herba, quæ à ſalute ſaluiæ nomen habet, delectatur, & circa radices eius hæ-

hæret: ita omninò Chriſtianæ religionis dogmata, vnica æternæ ſalutis inſtrumenta & velut pharmaca, à te amari vnicè, contrectari continuò, atque à ſapientia tua bufonica vim ſuam omnem accipere, nemo eſt qui neſciat. Quę quidem interpretatio, quum & docta & magnifica ſit, ceſſare aliorum acumen poterit, qui vt præpoſtera ac penitus intempeſtiua potentiæ cupidine animum tuum inflent, Galliæ illud Regnum tuum vetuſto notari ſymbolo contendunt: quaſi hoc titulis, quos vſurpas, debeatur; armis, quibus vales, promittatur; ac facile, ſi modò bello agere incipias, poſſit vindicari. Horum ego ingenium quidem laudo, at conſilium reprehendo, quum ſciam

nullo modo reiectum Liliairi, vt Bufones recipiantur. Exſpectas igitur fortaſſis, Rex Lepidiſſime, vt quoniam tibi in hoc characteriſmo vehementer places, depromam, quænam de eo ſententia mea ſit. Ne ſuſpenſum te diutius teneam, aut etiam erudita ſubtilitate torqueam, animaduertendum eſt, vel à rebus ipſis, vel ab earum imaginibus ſiue φαντασία huiuſmodi ſigna eſſe. Si à rebus, examina quæſo, faciliusne in Scotia Bufonem, an Leonem mater tua viderit, quum prægnans eſſet: ſi à φαντασία, expende tecum, quid quum vtero concluſum adhuc onus eſſes, ſiue de Leone ſiue de Bufone grauida cogitabat. Sed abſit vt quicquam auribus tuis ingratum à me proficiſca-

ciſcatur. Tu ſi Leonem eſſe dixeris, dico Leonem eſſe; Bufonem autem eſſe, ſi permiſeris; præſertim cùm generosè olim Bufonem deuoraueris; aut ſi tantum libertatis homini iam tibi in omnibus obſtricto concedis, informem modò maculam, naturæ vitio eſſe, & hoc ſolum notare, quod habet. Sic de Nerone Suetonius ſcribit, corpore eum fuiſſe maculoſo & fœdo. An verò in Auguſti pectore aluoque notæ in modum & ordinem ac numerum ſtellarum cœleſtis vrſæ diſperſæ fuerint, dubium eſt. Vt cæteros omittam, Seleucum & ſimul vim naturæ admiror. Nam quod ille natiuum in femore ſignum anchoræ habuit, liberi & nepotes acceperunt. Verum conceda-

cedamus perfectam hanc fuisse anchoram, atque in aliis nunc lanceam, nunc gladium, nunc sceptrum fuisse figuratum; tibi doctrinæ, siue scholæ aliquam debebat natura notam, qua omnes admoniti Reges, tuo calamo sceptra sua submitterent, teq; vnum esse diuinitus designatum agnoscerent, qui scribendo docendóque, non tantum fortunam suam vinceret, sed inter Magistros ipsos aliquod sperare nomen posset. Minus enim difficile erat scribere Regem, quàm inter Scriptores regnum obtinere.

* * *

Nemo tam inficetus est, qui elegantiis non capitur. Ad me quod attinet, admirari malo omnia, quàm singula persequi: sed

ſed prout mores tui ſunt, in victu, veſtitu, cultu non tam conſuetudinem, quàm ſapientiam dilaudo. Videris enim alibi amplius ingenio, quàm mori dare, nec ſequi exempla vitæ, ſed formare: quod ſicuti magnum eſt, ita niſi à maximis viris fieri non poteſt. Hæ igitur, quæ in alio homine turpitudines eſſent, in te elegantiæ ſunt, (tantum intereſt à quo vnumquodque fiat) & quæ à te vno vſurpantur, accuſari ſiue reprehendi non debent. Quia vita conuiuio conſtat, hic oſtendis maximè, quid maximè Regis amores commendet. Hilaris es, & de rebus Fidei agis; hoc Regium eſt. Genio indulges, & Salutis myſteria ordinas; hoc Regium eſt. Non edis, ſed glutis; hoc Regium

gium eſt. Non bibis, ſed cum ſtrepitu ſorbes vinum, & velut ſugis; hoc Regium eſt. Iam verò ſæpius quotidie manducare, & vix ori ferias dare, tam naturale eſt, vt ab omnibus animalibus vſurpetur. Refundere cibum, quoties onus eſt, ſupernaturale puto. Quod menſtruum eſſe poſſe Galenus præſcribebat, Rex Capaciſſime, tu frequenter, & aſſiduè facis, nec decumbis: tamq; facilè tibi eſt ex equo vomere, quam in menſa onerari.

* * *

Nec in vllo hactenus obſeruatum. Nam quum ſolus es, & ſpatiaris, non recta profers & diſtinguis veſtigia, ſed in gyrum tollis greſſum, & circumis, ſiue Libero ductore, propitio tibi numine

mine, ſiue alio naturæ inſtinctu; tanquam inceſſu ipſo æternitatem formes, ac cœleſti teſteris motu, vbi animum collocaris. Aut fallor, aut ſic eundo philoſopharis quoque, oſtendisq; in orbem agi omnia ac mutari, quæcumque in rebus humanis videmus: niſi potius hinc nobis diſcendum ſit, te vnum inter Reges eſſe, qui diuina ingenij doctrinæque vi conuertere ſtatum Europæ, miſcere ſacra profanis, extollere ima, deprimere ſumma poſſis. * *

Etiam inſecta quædam noctu circa lychnum volitant, ſed aduruntur, ac lumini hoſtiæ cadunt. Ita eſt, fateor, flammam nemo tangit, & illæſus abit. * Voluntigitur, Rex Circulariſſime, Pontificem Romanum flammam eſſe,

& in noctem lucere: nos velut insecta esse, & circumuolitare.

* * *

Vt omnia dicam, nihil pulchrius perfectiusq; circulo est, nihil diuinius, nihil Rege dignius. Vnde si περιφερῶς instituantur & agantur omnia, cœlũ in terra habere videamur. * Quam infamiam περιοδεύται siue ἀγύρται timeant? περίφοιτος καὶ περιφόρητος, quam pulcherrima ac præclarissima meditaris, tu ipse existis. Quomodo non curiæ vectigal augeatur? in caussis controuersiisque circuitu omnes malent, quàm iure agere. Quia tuam esse περιφορὰν Ecclesiæ filij animaduertunt, pari significatione aberrationes mentis & hallucinationes suas, pro diuina sapientia habent. Alij quia circum-

ire

ire ſciunt Regium eſſe, circumuenire & circumſcribere ſuum arbitrantur. Agite Britanni, confidite Miniſtri, curua omnia, torta, turpia nemo reprehenſurus eſt; Regis exemplo, recta, plana, honeſta exulabunt.

* * *

Quicquid dixi, Fortuna facit. Tam benigno & propitio numini aſſcribẽdum puto, quòd Iacobus, quòd Rex ſis, quòd Sexti cognomen in Primi cõmutaueris; quòd, quum manum calamo armaſſes, Principes omnes, Eccleſiæ Romanæ filios, obliquis calumniis lædere potueris, nec cuiuſquam tamen hactenus iram timueris, ſenſeris, exceperis. Libidines & illicitum matrimonium nonne Henrico Magno obiecciſti? at ille ne-

neglexit librum tuum, non ignorans quàm multa ingeniis concedi debeant. Auguſtos Auſtriacæ ſtirpis Principes, inclytum Poloniæ Regem, Sereniſſimos Bauariæ, Sabaudiæ, Lotharingiæ Duces nonne fatuos, parum Chriſtianos, idololatras, adoratores beſtiæ, ſiue Antichriſti inſimulaſti? Hi tamen omnes, tanquam à Miniſtro, non Rege Theologica ſcriptio profecta eſſet, inſuper habendam eſſe cenſuerunt. Tanta & tam manifeſta hæc felicitas eſt, vt clamare cum Oedipo Sophocleo non immerito poſſis: Ἐγὼ δ' ἐμαυτὸν παῖδα τῆς τύχης νέμω. Ergo ſequere matrem tuam, Rex εὐτυχέστατε, hanc inquam Fortunam, & maiora aude atque molire. A calamo nunc tandem ad arma venien-

niendum eſt, hortante imprimis magno illo Bellatore & Pyrgopolinice Mornæo: vt pugnes etiam, qui ſcribere hactenus potuiſti, & de te Homericum illud deprædicemus,

Αμφότερον, βασιλεὺς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής.

Tuum enim eſt, tuum, Martialiſſime Monarcha, orbis negotium agere; liberare tyrannide mundum, ſuperſtitione Eccleſiam, infamia ſæculum: tuum eſt exequi, quod in ſalutem humani generis Deus Optimus Maximus ordinauit. Cadet Babylon, cadet Babylon, ſi tam modò fortis pugnando eris, quàm ſcribendo fuiſti doctus: ſi quemadmodum belluam illam Romanam felici confixiſti calamo, ſic vltore quoque gladio fe-

feries. Bello & Marte res peragenda eſt: nam vinci Romanos poſſe, tot iam Barbari oſtenderũt. Poſt Herulos & Gothos Britanni erunt: poſt Odoacrem & Theodoricum Iacobus oſtendet è Septentrione omne malum eſſe. *Arma viri, ferte arma.* Quam facilis expeditio futura ſit, Calchas ille Pleſſæus, ille Vir Dei, ille Eccleſiæ vates obſtupendo iniquitatis ſuæ Myſterio explicuit. Etenim quum Italiæ appropinquabis, admirabili Dei beneficio Alpes ſtatim ſuccollabunt, & exercitum tuum ſine moleſtia ac mora recipient, Eridanus ſe diffindet, tranſitúmque præbebit, Apenninus diſſiliet. Quid etiam? ad tubarum tuarum ſonitum ſeptem illi montes deprimentur, muri procumbent,

& ipſa Hadriani moles concidet. Quid verbis opus eſt? Romam ibis, nec domeſticas tuas Britannicasq; voluptates deſeres. Tota illa expeditio velut venatio erit, ſed Romano ritu inſtituenda. Tu venabere, ſpectabit orbis. Bellua quæ petetur, Regia indagine digna eſt, Regiis plagis, Regio venabulo. Non eſt quod laborem aut periculum timeas: recreaberis magis quàm fatigaberis; ſtragem magnam edes, nullam accipies; prædam ages, nec læderis. Neque interim à ſtudiis aut conſuetudine vitæ recedes. Comitabitur, velut ad ludum, Regina ipſa: & ſi hæc ſatis non eſt, ſequentur aliæ Veneres, alij Cupidines, velut itinerum delíciæ: quo pulcherrimo comi-

tatu atque ſatellitio oſtendes Italis, nullam tibi formam, nullamque voluptatem in Britannia, ac ne fomenta quidem voluptatis deeſſe. Etenim Frontiniana tua vina in promptu erunt, vbicumque eris; poterisque mox præda ditior, non octingentos, quod hactenus tibi ſolenne fuit, ſed octies octingentos in ſingula vaſa florenos expendere. Quia etiam non alio ſucco viuis, non alio quotidie liquore mades, Genialiſſime Rex, Diuiniorem quotidie mentem habes, & exſurgis quo nemo hactenus Regum potuit aſcendere. Nimirum rerum omnium mortalium obliuiſci debes, vt de Deo loquaris, vt Religionem conſtituas, vt Pontificem te teſteris. Hæc omnia eo ſua-

ſuauius armatus facies, quo propius ad contemplationum tuarum fructum, & plenitudinem votorum accedes. Pocula verò non minus efficacia foris, quàm domi inuenies: conuiuia non minus Theologica in caſtris, quàm Londini in Regia agitabis. Bacchus ipſe vigorem ac ſcientiam dabit, nec difficilem cum Marte mixturam faciet: Bacchus inquam Pater, quem non tantum vini Deum multi faciunt, ſed & maximum fuiſſe bellatorem fatentur. Strenue bibes, vt acrius pugnare poſſis. Sic Deo auſpice, auctore, adiutore, impulſore, vt idem ille Calchas noſter vaticinatus eſt, poteſtatem iniquitatis extirpabis, & ſimul veneficia omnia, parricidia, totque huma-

ni generis mala desinent. Vbi victor & triumphator proculcaueris hostes tuos, deliberare quoque incipies, Romæ, an Londini Pontificarum reformatum gesturus sis; Britanniæ mores in Italiam, an Italiæ thesauros in Britanniam laturus. Ac præstabit fortassis, quia Romanis nomen Regis inuisum est, Britanni autem Pontificis auctoritatem satis adhuc non concoquunt, vt diuiso munere imperioque, Romæ Pontificem, in Britannia Regem agas. Ita enim aliquam libertatem Britannis dabis, nullam Romanis seruiturem inferes: clarusque clementiæ ac prudentiæ laude apud omnem Ecclesiæ posteritatem eris. Atqui præposterè fortassis victoriam ordi-

no

no, qui de militia ad victoriam neceſſaria nihil adhuc dixi. Itaque quantum tu in librorum & doctrinæ negotio ſapere potuiſti, tantum ego in belli ratione conſultanda audebo. Cenſeo igitur, quod primum eſt, vt quia Religionis, & Fidei cauſſa exercitus conſcribi debet, eos potiſſimum in militiam aſſumas, qui à te proximi ſunt, & Religionis Fideiſque cauſſam verbis agunt. Nam ſi Miniſtrorum numero ordines inſtruas, magnum ſumptuum compendium fiet: non gladiis, haſtis, clypeis opus erit, à ſe habebunt arma, & non mares tantum, ſed maritos ſe oſtendent. Cornibus pugnaturi, hircorum & taurorum vim in hoſtem effundent. Neque indecorum puto militare

Miniſtros Euangelij, quum belli Ducem Pontifex agat. Nam quemadmodum qui Rex eſt, Pontifex eſſe poteſt: ita qui Miniſter eſt, pari iure miles cenſebitur. Tum quoque ſi quæ forte ciuitas oppugnanda, quod in bello fieri ſolet, ſi muri quatiendi, Arietes habebis, qui omnium baliſtarum & catapultarum officium exequentur: copias verò ipſas, ſi prælio confligendum erit, in mediam aciem & duo cornua diuides, quorum alteri tu ipſe, alteri Mornæus, fortiſſimus ille belli auctor & ſuaſor, præſit. Huius demum exemplo pugnare, hoſtem ferire, omnia Ducis militisque munia obire poteris, hactenus ſolummodo Scriptor, Doctor, Magiſter, nec armatus vnquam, niſi quum theſau-

ſaurum in ædibus Gowerianis quæreres, & à felici cataſtrophe amores inuenires.

* * *

ISTA QVIDEM HACTENVS: *verum è dubia interdum ſcriptura tam religiosè collecta, vt ſecuti Auctoris iudicium, aſſecuti mentem videamur. Fruſtula quædam lituris obſita, ac nullo ſenſu ſparſa, omitti, etiam Regis conſenſu, potuerunt. Cæterum ſi quæ adhuc fragmenta curæ ſecundæ eruent,* κοινὸς ἔρμῆς *erit.*

TRIPVS DELPHO-GALLICA.

I.

LEpus Leones vulnerauit Galliæ
Britannus, ore Gallico:
Eludunt Leones, vindicant q̃ iniuriam;
Sed ore cur non Gallico?
Terrent Latino, vt mox ſuo deſæuiant.
Diſcet Lepus non lædere.

II.

Vulneris impatiens, iuſtum effuſura furorem,
Vindictam ordit ur Gallica Nobilitas.

III.

Fit nulla ſtultè prouocanti iniuria:
Et qui laceſſit, auctor eſt iniuriæ.

Plautus: QVI QVÆ VOLT, DICIT; AVDIET, QVÆ NON VOLT.

BIBLIOTHECA REGIA MONACENSIS

A.

lia

iam;

iant.

ſura

itas.

CIT;